



Nactus Patronum tantum majora tentat: congregatis socijs circiter octingentis Würtzburgum, noctu effractis portis, adoritur, capit, diripit. Imperator Ferdinandus atrocitate facti graviter offensus mandat: ut in iudicio Camerali non tam violatæ fidei erga Dominum Feudi insidiosè circumventum, sed & fractæ pacis publicæ reus agatur. Moritur interea Ferdinandus: succedit Filius Maximilianus: à quo, flagitante executionem Antistite Herbipolitano, proscribitur Grumbachius vice alterâ cum socijs, & eorum receptoribus. Duci Augusto Electori Saxonie demandatur ab Imperatore, & cæteris ordinibus decreta in proscriptos, ni pareant, executio: cunctantè & bellum hocce toto animo aversantem impellere Imperatoræ urgere non desinit, ut obsidionem Gothæ acceleret. Hoc publici magis quam privati periculi respectu Elector, quod imperij authoritatem detrectare non liceret, Gotham proscriptorum receptaculum obsidet: deditio- nem fieri flagitat: denegatâ arctius obsessos includit: impeditâ stipendiorum solutione: commeatu deficiente, occiso præcipuo Capitaneo urbano miles conductus cum plebeculâ, quæ in urbem defensionis causa contracta erat, fremere ac tumultuari incipit: fit concursus ad arcem: portæ vi recluduntur: Comprehenditur factionis Princeps Grumbachius cum complicibus Doctore Christiano Bruckio Cancellario: Brandensteinio tribuno militum, & Iohanne Beiero, quondam Electoris Quæstore. Urbem & arcem ingreditur Elector 13. Apr: cum legatis Imperatoris: custodiæ Principi ponuntur, qui se tradit in manus & potestatem Cæsaris, deditio- ne legatis factâ: conjurati tormentis subijciuntur: sententia in capita eorum promulgatur: pari cum Grumbachio supplicio afficitur Cancellarius, dissectione corporum in partes quatuor. Stenius capite truncatur: